FRANCISCI AQVILARII VVLCANVS,

Siue carmen de duobus incendijs, quæ Venetiis euenerunt anno a natiuitate Christi CIƆ. IƆ. LXXIIII.



VENETIIS,
Ex Officina Dominici Guerræi, & Io. Baptistæ, fratrum.
CIƆ. IƆ. LXXIIII.



FRANCISCI AQVILARII
VVLCANVS.



ENSERAT in cæcis plerumque receſſibus almam
Vxorem querulis conſcindere queſtubus auras
Mulciber, & belli patrem, pelagiq́. potentem
Accuſare, feris populis, quibus imperet, alter
Quòd vaſtare Cyprum, ſibi dulcia regna, ſuasq́.
Delicias veteres, permiſerit; alter & illuc
Per ſua reddiderit ſecuros æquora curſus.
Ipſe igitur, crebro queſtu commotus amatæ
Coniugis, & ſortem tandem miſeratus iniquam,
Affuit, ac tali ſolatur voce querentem.
Quid, mea, dulcis amor noſter, cariſſima coniux,
Conquereris, caſusq́. tuos, & numina dira
Triſtibus ingeminas dictis, nec proficis hilum?
Quin age, quandoquidem, ſolita vertigine cælum
Quod tulit inferius, fas haud mutare, videndum eſt,
Si quo forte modo, quæ nunc tibi corda remordent,
Iſta tua vlciſci tandem mala damna queamus.
Belligerum Martem, quiq́. æquora ſalſa gubernat
Neptunum Veneti magno reuerentur honore;
Illum, vt, qui armorum ſtudioſi, tempora quamuis
Pacis agant, ſemper maneant, defendere ab hoſte
Quo ſua regna queant, ſi forte aliquando neceſſe eſt
Horrida bella ſequi, uiresq́. oſtendere in armis;
Hunc autem, imperij quippe intra limina cuius
Vrbem habeant, columen rerum ſublime ſuarum.
Hinc ſimulacra deum Pario de marmore vtrique
Erexere etiam. ſtat regia ſcala palati
Planitie in media, nec non in vertice ſcalæ
Area parua. tenet dextram Mars ipſe, ſiniſtram
Neptunus, magnæ effigies, monumenta ſuperba,
Qualia non videas toto fors altera in orbe.

Quin & tempus adest, quo iam quater ardua Phœbus
Limina Ledæi duplicis lustrauerit astri,
Ex quo more patrum Mocenica gente creatus
Deligitur magnæ princeps Aloysius vrbi.
Assolet hic tanti decoris renouare quotannis
Natalem ingenti luxu. conuiuia dantur
Tempestiua patrum primoribus, ordine eodem
Matronis, forma claris, & denique quot quot
Ipsius affuerint festos celebrare Penates.
Hic etiam intersunt tam lætis rebus agendis
Numina multa deum; Mauors, domitorq. marini
Gurgitis in primis, alicuius vterque triumphi
Lætus amicorum veluti spectator ouantum.
Ergo ego lætitia in media, inter pocula læta,
In tecti augusti magnis penetralibus ignem
Accendam ingentem, quo moles omnis, ad ima
Fundamenta ruens, hostilia signa refringat,
Inq. solo extenuet, spectantibus hostibus ipsis.
Quinetiam veterem nostras speramus amicum
Aeolon aucturum vires. communis vtrique
Est patria. illi odium in fratrem, quòd sæpe repellat
A pelago ventos, nec non conuitia iactet
In regem, & dictis haudquaquam parcat amaris.
Sic fatus Venetam sese transmittit in vrbem,
Principis & tecti partem, quæ rite colossis
Imminet, aggreditur; primumq. vbi forte coquebant
Regificas epulas, interserit igne caminum.
Ast homines primo parui rem pendere: curam
Linquere quinetiam reprimendi protinus ipsum
Ardorem, innocuum credentes. ignis at inter
Irrepit tabulata domus, atque omnia miscet
Fumiferis tenebris, & viuis denique flammis.
Tum vero, trepida cuncti formidine pressi,
Obstrepere. hac illac discurrunt agmina patrum.
Matronæ celeres, pueri, innuptæq; puellæ
Diffugiunt. furit ignis atrox. iamq. ocyus omnes
Expediunt tremulos extra aurea limina passus.
Totius interea per compita densa vagatur
Vrbis fama, ferens prætoria sancta cremari.
Tum vapor, obscura circum caligine fultus,

Conspicitur

Conſpicitur multis tranſſcendere ad æthera tectis.
Aera ſonant celſis in turribus. vndique vulgus,
Permiſtum patribus, ſubitum concurrit ad ignem.
Pars liquidos latices vicino e gurgite portant
Aere cauo, ſubeuntq. locos, incendia per quos
Dant aditum, & rapidam tentant exſtinguere flammam.
Roboreas alij ſcalas aliunde ſubactis
Rite ferunt humeris, qua candida marmora cautim
Scandentes, validis deuoluunt viribus ipſa
Plumbea tecta, trabes nitidas, læuesq. tabellas,
Vt ſaltem reprimant progreſſus peſtis iniquæ.
Ilicet. ignis edax ſumma ad faſtigia tendit,
Vicini immiſſas nil curans æquoris vndas.
Atque etiam de parte ruens furibundus Eoa
Eurus adeſt, auctum furias a principe miſſus
Hippotade antiqui grato in conamine amici.
Turbidus, Hadriacis rediens a fluctibus, illi
Rettulerat Zephyrus Vulcania cœpta, ſimulq.
Exitium propius ſignis, probrumq. futurum.
Ergo nec ipſa iuuant vacui diſcrimina callis,
Quo minus, adiunctis ventorum flatibus, ignis
Euomat ulterius volucris contagia flammæ.
Marmoreum dextro lateri altæ molis inhæret
Templum ingens, donis opulentum, & numine diuum.
Curua ſolent quod quinque graui pinnacula plumbo
Tecta operire, crucis pulchræ inſtar. plurimus auro
Fulget ibi fornix; crebrumq. emblema figuras
Effingit rerum uarias, hominumq. deumq.
Res geſtas ueteres, arcanaq. fata reponens.
Ergo huc per uacuum ſeſe, mirabile dictu,
Aera deuoluunt incendia dira, furore
Flaminis acta recens, unumq. e quinque cacumen
Arripiunt, ardore uorant. non ſufficit ulla
Vis contra; non arma ualent. fluit undique plumbum
In ſubiecta fori, lamnis liquentibus æſtu.
Interea Mauors, ſimul & Neptunus in ampla
Litora contulerant ſeſe, quæ proxima ſurgunt:
Atque, rei quiſnam foret exitus, inde frementes
Spectabant, loquitur cum ſic ferus ore Gradiuus.
Quid terimus, pelagi magni pater, otia? tendit

Ecce ſuas uires inſultans ignis, & omnem
Diſijciet molem, ſimulacraq. noſtra, furori
Flammigero ſi non occurritur; attamen ipſi
Spectamus uacui flammas, tremulamq. ruinam:
Nec nos iam pietas, noſtrum nec dedecus excit,
Irriſu poſthac terris, cæloq. futuros.
Atqui ego, ne inficiar, iamdudum munera obiſſem
Hæc eadem, claudiq. fabri, ſocijq. maligni
Preſſiſſem furias, temerariaq. auſa repente,
Si manus hæc Martis, bello magis apta, uel arma
Sanguinolenta forent hic exercenda. Tua nunc
Vi meliore, tuis, Neptune, tumentibus undis
Eſt opus; ipſe potes tantum reſtinguere uirus.
Ille nihil, ſubitam nec opem ſermone moratur;
Sed, Tritona uocans, (tubicen tum forte canorus
Pone uolutatas ſpectabat in aere flammas)
Vade, ait, æquoreas nobis huc ſiſte ſorores;
Dic properent ualidis exſtinguere fluctibus iſtos
Fumigeros ignes, incendia tanta uomentes:
Promptus at ille refert medias ſe in marmoris vndas
Cærulei, conchaq. ſonat, qua cuncta mouetur
Incola gens diuum, nec non pecus arrigit aures,
Lubrica fluctifragi reprimens veſtigia curſus.
Agnoſcunt ſonitum vaga numina, protinus atque
Inuiſunt ſocium vocitantem; Phorcus, & ipſe
Grandæuus Nereus, vatesq. notabilis arte
Multiplici Proteus, reliquiq. ex ordine diui
Ponticolæ: accurrunt Neſæe, Phyllodoceq.
Effuſæ nitidos per eburnea colla capillos,
Et Thetis, & Melite, Panopæaq. Cymodoceq.
Auro omnes, pictis incinctæ pellibus omnes;
Atque Ephyre, atque Opis, tum cetera turba, celebres
Corpore præſtanti Nymphæ, & ſimul ore venuſto.
Iamq. rogat ſpumoſa cohors, quidnā, optime Triton,
Vis tibi, quid'ue noui? Extemplo præcepta parentis
Ille refert, fieriq. iubet. Properantius ergo
Nereides vadunt; conchisq. capacibus vdos
Exportant latices, ac fumos inter, & ignes
Conijciunt. auctis reſident incendia lymphis.
Ac veluti, hoſtiles ſi quis dux ſæuus in oras

Incurrens

Incurrens, celeri deuaſtet milite campos,
Incaſſum indigenis contra nitentibus; at iam
Subſidio miſeris tandem præſtantior adſit;
Ille fugit, ſemiuicta dolens & deſerit arua:
Sic ignis rapidi ceſſit populatio, poſtquam
Aequoreæ Nymphæ præſto per tecta fuere.
At non ignipotens animum, cœptosq. furores
Deponit, quamquam videat conamina prima
Irrita; quin potius magis irritatur, & igni
Aeſtuat indomito, ſecumq. nefanda volutat
Tentamenta, quibus pelagi iam numina vincat.
Veſtibulum ante ipſum templi, limenq. palati,
Ad Zephyros verſum, iacet ingens illa platea,
Marcia, deductum nomen de nomine Marci,
Auſpicis & ſacri templi, patriæq. parentis.
Hæc ſe in multiplicem tractum diffundit, vtrumque
Ad latus & pandit geminæ quoque brachia molis.
At circum monumenta, velut præcelſa theatra,
Marmorea inſurgunt, niſi, quòd breue litus ad Auſtrum eſt.
Hic locus emporium magno ſollemne paratu
Tempore fit, ſummi quo regnatoris Olympi
Chriſticolæ factum recolunt illuſtre per orbem,
Quando, triumphata mundanæ mortis acerba
Ingluuie, lætus ſupera ad conuexa reuertit.
Tunc velut vrbs quædã ſtruitur toto æquore vallis
Multiiugæ. videas vicos, & ſtrata viarum,
Fraxineasq. ſimul poſitas vtrimque tabernas,
Mercibus eximijs plenas, vel principe in ipſa
Vrbe laboratis, vel, quas Germania ſollers,
Aut Syria, aut Libye, aut longinqua Britannia mittit.
Vela tegunt intenta vias, ne feruida Solis,
Aut ſubitæ pluuiæ cupidis emptoribus vmquam
Vis iter impediat, cunctisq. negotia tollat.
Ecce autem populi turba feruebat vbique
Mercatus; rutilumq. iubar luſtrauerat orbem
Terrarum vndecies poſt prima incendia; nox &
Proxima iam cæli medium intempeſta ſubibat:
Cum faber Aetnæus rurſum noua fulgura tollit,
Omnibus abrumpens ſomnos, curasq. reportans.
Ingens vicus erat, virides qua vergit ad vndas

Vaſta

Vaſta plaga, adſpectu lætus, variæq. refertus
Mercis, femineæ in primis: pendere videres
Sindonas hinc Tyrias, & byſſina vela, leuesq.
Vittas; at cotylas illic exſtare, tenentes
Serica reticula, & zonas, & flammea, nec non
Mille alia, exquirit quæ femina lauta frequenter.
Quid Samia enarrem, quid vitrea vaſa, rubentes
Altera picta roſas, homineſq. deoſq. celebres;
Altera in irriguos fontes, pulchraſq. triremes
Conflata, & varias referentes ſibila formas.
Hic ergo ignipotens, correpto lumine, quidam
Quod puer incautus, poſt cenam in ſomnia lapſus,
Incenſum oblitus fuerat, tabulaſq. trabeſq.
Impoſitæ accendit, nullo aduertente, tabernæ.
Iamq. vapor rutilus trans culmina ſicca volabat,
Et latere ignito latus inflammare propinquum
Cœperat, horrifico flammæ reboante tumultu
Excutitur molli quando vicinia lecto.
Tum vero exoritur miſerabilis vndique clamor,
Aeris permiſtus ſonitu, crepitantis ab altis
Culminibus. linquit mortalia ſomnus vbique
Corpora. concurrunt homines. non deficit vrna;
Non humana pijs ſollertia. ſed tamen ignis
Progreditur, vicumq. omnem, lateriq. tabernas
Contiguas (fuerant aliquot) complectitur atris
Flammarum turbis, etiam fundamina adurens.
Tempore non illo præſentia numina magni
Quippe fuere maris: ſubito nam cuncta, priori
Exſtincta flammæ rabie, in ſua cærula regna
Rettulerant placidos per proxima litora greſſus.
Quòd, niſi in obliquum diſcrimina flexa viarum,
Velaq. tenta ſuper, celeri detracta lacerto,
Vicos ſeruaſſent reliquos a peſte furenti,
Heu platea illa omnis, pretioſa merce referta,
Protinus in flammas conſederat, ipſaq. circum
Iam monumenta nimis fuerant vicina ruinæ.
At pater omnipotens, rerum cui mira ſuarum
Cura eſt, haud voluit procedere longius ignes,
Auxilio duplici ſumma ratione, gubernat
Qua maria, & terras, & cælos, ante parato.

F I N I S.